


Stokowski - Aprographum Petri Gembicki

was Institutum

6

148



6
148

APOGRAPHVM
VIRTVTVM.

Illustriſimi ac Reuerendissimi Domini,

D. PETRI
GEBICKI

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI CRACOVIENSIS,
DVCIS SEVERIAE,
In primo ad Cathedralem ingressu.

Quod
NOBILIS VIOANNES DE ROMISZOWICE
STOKOWSKI Subdapif: Lancien: In Alma Acad.
Cracouien. Iuris & Philosophiæ Auditor,

Pio affectu & debitâ mentis veneratione,
Patrono ac Fautori suo colendissimo,

Effinxit.

Anno à Partu Virginis 1643. Mense Maio.

CRACOVIAE,
In Officina Typographica STANISLAI BERTVTOWIC.

10559.

In Stemma Inclytæ Domus GEBICIANÆ.

P.

I.

D.

E.

D.

G.

G.

C.

S.



FASCIA, si, celebris, felix, splendore Tiaræ
PETRI GEBICKI, Fascia fausta notat.

Ut dubium soluam, felix hæc Fascia tantis,
Præfusis, est titulis, Fascia fausta notat.

Fascia Præfuleo floret splendore Tiaræ,
Fascia grande decus fulget vbiq; viris.

Fascia florescat refloreat Orbe Polono,

Fascia sit felix inq; solo inq; Polo. Florian' Stokowski

Eloqu: Stud:



APOGRAPHVM VIRTVTVM.

Diuinâ prouidentiâ, quæ toti vniuerso communicatur copiosissimè, sic, res humanas moderante, vsu venire solet, vt si splendore, ornamento, decore, cæterisq; id genus virtutum insignibus, aliquam orbatam esse velit Rempub: actu- tum vel simile, æquale certè, vel maius sufficiat au- xilium. Nuper mœstissimi, mœstissimam, Illu- strissimi ac Reuerendissimi olim Iacobi Zadzik: Episcopi Cracouien: Duci Seueriæ, Senatoris, quæ Pietate, quæ candore animi, quæ æmulatione Virtu- tum, quæ contentione virium, in honore Diuino pro- pagando, quæ integritate, in consilio Orbi Sarmatico salutari dando, luximus, dignissimi, mortem. Deus Præpotens, in communi istâ omnium nostrûm per- turbatione, alium Antistitem, Te Illustrissimum ac Reuerendissimum PETRVM GEBICKI officio Pastorem: Zelo feruenti Heliam: Vineæ Domini Spiritualis plantatione, Nôè: virum vitâ innocentissimum, ingenio florentissimum, proposito sanctissimum, tan-

A 2

tis

tis deniq; adornatum virtutibus , quantas perfecta
& naturâ & industriâ, mortalis conditio recipit, suo
Gregi, suo Ouili, auspicatissimo omne præesse vo-
luit. Et quicquid affluentissimè in alijs Antistiti-
bus Illustrissimis comperiatur (sigillatim enim sua
quemq; egregia facta, præclaræ mentis dotes com-
mendant) in Te vnum, omnes omnium virtutes con-
fluxisse, ac in pectore Tuò sedem fixisse credantur.
Gaudet Cracouia Te Tanto Pastore. Exultat Mi-
nor Polonia , Tuò felicissimo aduentu . Omnes Ci-
ues , totus Crac: Senatus , vniuersi Ordines , Viri
Religiosi, Diuino obsequio æternùm mancipati, Ti-
bi felicissimum in Episcopam Crac: gratulantur in-
gressum. Florens Alma Mater Academia , quæ
Te & Patronum, & Cancellarium salutat sibi fauen-
tissimum , in Tua virtutum encomia excurrit eò li-
bentiùs , quò Te desiderabiliùs Pastorem ac Mecœ-
natem suum cognoscit clementissimum. Quàm ve-
rò maximâ Venerabile Capitulum , quod Te hono-
ribus amplissimis suscipiendis , Senatorem integer-
rimum , Antistitem Illustrissimum longè iudicauit
dignissimum ; gestiat lætitia : Diœcesis tota, Grex
Tuus totus , atq; adeò vniuersæ aræ, quæ iam squa-
lore quodam obsitæ videbantur , Tuò Augustissimo
in Episcopatum ingressu : non modò reforuisse, sed
simul etiam ad splendidissimum nitorem redijisse,
quàm

quàm summo cum tripudio lætentur? Læta est ad-
modum aduentu Tuò inclyta Exedra, cùm Te Diui-
norum arcanorum Præsidem , cuius olim virtutes
mirabatur celeberrimas, suscipiat gloriose. Clerus
deniq; totus , qui est Religioni ceremonijsq; Diu-
nissimis dicatus, summo desiderio, ingentianimi ex-
pectatione , multùm antea detentus , cùm Te fau-
stissimo omne, Sedem Episcopalem intueatur in-
gredientem, vix credibile dictu est, cum quantâ ani-
mi oblectatione recipiat. Quid multis : ipsi parie-
tes sacri Ecclesiarum si diutiùs Tuâ suavi & iucun-
dâ satis præsentia, quæ se multùm superq; recreet ,
non possent frui, non modò è locis suis dimoueren-
tur, sed etiam quandam statum habitumq; luctuo-
sum præferrent. Sed illuxit aliquando ille fortuna-
tissimus dies, quo omnium mærorem , conceptum ex
tristi obitu Illustrissimi ac Reuerendissimi Iacobi
Zadzik, Tuò conspectu optatissimo, in spem omnis
exultationis erexisti meliorem. Compleuisti ,
omnium Te summoperè desiderantium vota, exple-
uisti desideria. Tuò desideratissimo ingressu langue-
scentes, tabescentes nostros animos , excitasti , re-
creasti , exhilarasti. Felix ingressus Tuus, fortuna-
tus introitus, terq; quaterq; beatus aduentus, ad hanc
amplissimi imperij Sarmatici principem Metropo-
lim. Argumentum non postremum iudicamus esse

Tuæ felicitatis, quia Beatorum, Sanctissimorum
Episcoporum, suscipis Provinciam regendam. Eteò
quidem feliciorum Episcopalem Dignitatem credide-
ris, quod Episcopos gloriosiores, vitâ sanctiores, vt
potè Sanctum Stanislaum Martyrem, virtutum cæ-
lestium præstantiâ conspicuum: Ioannem Prando-
tha, simplicitate, & candore animi celebrem, Ioan-
nem Groth, probitate, pio affectu, & ardenti Spir-
itu in Deum, insignem, conspicias. Quod fit vt in Au-
gustissima Episcopatus Crac: Hierarchia Ecclesias-
tica; nobilissimoq; Collegio, id est Capitulo Ca-
thedrali Crac: Primas sacris & gloriolis auspicijs,
titulisq; geras. Verùmenim uero cum in Perillu-
stres & Magnificos Parentes meos, Tua tot collata
extent beneficia, munera, gratiæ, ac fauores,

Quot guttae fluuijs arboribusq; comæ:

Vnde equidem similiter, vel ex vnicâ illâ Regiâ &
natiuâ seu naturali lege, immortalis & meritissimæ
gratitudinis, recognitionis ac deprædicationis, hanc
etiam licet paruulam tesseram, ac exiguum istud gra-
tulandi officium, ceu insimum manupretium, seu
Mnemosynon, signaculumq; meæ infinitæ obligatio-
nis, ad aram manumq; Illustrissimæ Celsitudinis pro-
nus supplexq; sisto, suspendo, offero, atq; exhibeo.
Nam reuera sicuti (iuxta Alciatum) Medicis deben-
tur Soteria: Magistris Mineralia: Iudicantibus

Xenia

Xenia & Sportulæ: Iureconsultis Honoraria: Ami-
cis Strenæ, Miliî Stipedium: Exercitui Donatiuum:
Victori Trophæum: Imperatori Adorea: Dynastæ
inaugurato Coronarium: Sic planè ipsis Benefacto-
ribus, Patronis, atq; Mecœnatibus gratiolis vel ma-
xime debentur obsequentissima Charisteria, præ-
conia, vota, Panegyrīci, & Adidora immensarum
gratiarum, laudum, atq; prædicationum,

O mibi sint lingua centum, sint omiq; centum,

Vt ex voto & dignitate mei summè Munifici & Il-
lustrissimi ac Reuerendissimi Benefactoris, ac Me-
cœnatis, gratiola beneficia, merita, virtutes, præ-
stantias, encomia, atq; inclytos actus & acta, ad vi-
uum graphicèq; repræsentare ac referre valerem,
adeoq; meritissimis laudibus, & gratiarum actioni-
bus, perennè immorari atq; immori. Quapropter
Tuis beneficijs singularibus permotus, statui in ani-
mo meo gratissimo, vt in Tuas laudes Tuæq; Fami-
liæ Illustrissimæ celebrandas, & pro teneritate in-
genij mei, nondum profundis literarum honestissi-
marum disciplinis firmati, immò herbescenis ad-
huc, seq; paulatim exserentis, deprædicandas, ex-
currerem. Etsi multa sint, quæ quemuis Antistitem
commendent Illustrissimum. Virtus, quæ solabe-
at, & quæ mirabiles sui amores excitat, vt quos non
noscamus etiam diligamus. Eruditio, sine sapien-
tiæ,

tiæ namq; studio neminem posse benè viuere : siquidem non euenta , sed consilia considerare prudentis est. Iustitia , quæ est constans & perpetua voluntas ius suum cuiq; tribuendi. Illud vel vnicum inter cætera occurrit potissimum, si Præsul Pietatem amplectatur vel maximè. Omnium quidem principiorum optimum Deus est : Virtutum verò Pietas. Quantus thesaurus , thesaurus ille rerum omnium , pia in Deum mentis eleuatio : beneficio cuius, quid sit & non sit homo pariter æstimat, sui vilitatem perpendit , exilitatem examinat, ad rerum cælestium contemplationem citius erigitur. Illustrissimus Antistes primis ab annis à Parentibus Illustrissimis, quos claritas antiquissimæ & florentissimæ Familiæ & Sanctimonia vitæ , & tot Heroicorum gestorum celebritas seræ posteritati commendauit , commendabitq; æternum , imbibit, hausit Pietatem. Eorum conuersationem semper quæsiuit, familiaritatem sectatus est, à quibus & Sanctitatem, & regulam benè beatèq; viuendi perdisceret. Nihil sibi apprimè fuisse cordi, quām si illud sibi ante oculos obuersaretur: nempe nihil coram Deo æquè magnificum esse atq; integritas vitæ , & veritatis dogmatibus perfecta anima. Quò verò sua Pietas maius incrementum acciperet, non abs re futurum putauit , si Sanctissimæ Virginis Mariæ cultui perpetuo sese manciparet.

Magni

Magni Dei, Magnam Genitricem totius vitæ suæ delegit sibi Patronam. Quam quo affectu & ardentí spiritu colat & coleret, cùm se honori eius consecraret ampliando ; Diuinæ Maiestatis tanta benedictio docet. Benedixit enim Deus piæ mentis; In primis namq; vbi in castris Mineruæ, Illustrissimus Antistes, felicissimè omnibus literis imbutus, mereri desijt: Illustrissimo ac Reuerendissimo Petro Tylicki Episcopo Crac: vt cui sanguine iunctus esset , commendatur. Cui quām gratus, quām iucundus: quod se totus totum ad curriculum mortalitatis, cum honore & timore Dei Optimi Maximi traducendum componeret, extiterit, facile coniçere est. Excitauit Deus Præpotens felicis recordationis Illustrissimum Antistitem, vt quem sibi innocentia ac probitas commendaret, suo iam ampliùs lateri adhærere non sineret: Sed virum cultui Diuino promouendo natum , dignum Canonicatu : mox Decanatu, in Ecclesia Cathedrali Crac: iudicaret. Iam fortè ille honor, illa loci amplitudo, se commutauit: vt igniculos amoris Diuini extingueret: Minimè: Illustrissim⁹ Antistes, totus ardens, totus feruens, totus igne charitatis Diuinæ exardescens. Nouit Illustrissimus Antistes se eo nomine esse genitum: Decanum in Ecclesia Cathedrali Crac: constitutum, vt non plūs suo , quām honori Diuino prospiceret adaugendo. Nescit virtus B latere

latere tenebris, non amat angulos, occulta clarescit;
depressa florescit: & quò magis premitur non op-
primitur, sed altius assurgit. Non his igitur limiti-
bus ac cancellis, plenus ardoris Diuini spiritus Illu-
strissimi Antistitis concludi poterat. Vnde vacan-
te Episcopatus Crac: Sede, Decanus Cathedralis Ec-
clesiæ, Administrator Episcopatus Crac: consentien-
tibus omnium votis, & totius Capituli applausu bis
eligitur, constituitur, præficitur. Quid aliud id-
ipsum portendebat? quām vt quem Augustissimum
Capitulum, ob præclara bonorum operum specimi-
na, Administratorem aliquoties fecerit, gratia Dei,
quem suæ Ecclesiæ, suo Gregi cognosceret vtilissi-
mum, in Episcopali collocaret Dignitate. Rem euen-
tus ipse comprobauit, vt quod Illustrissimi Antistitis
præclaræ mentis dotes portendere videbantur, iam
nunc bonâ ominatione euenisse intueamur. Sere-
nissimus ac Inuictissimus Rex Vladislao IV. Tanti
Viri permotus, omnium commendatione; Virum qui
Deo placeret, non qui doceret, sed qui suauiter ali-
quid de Deo disceret; in sinu gratiæ fouet, vnicè am-
pletebitur. Virtutem eximij Viri ornandam, decoran-
dam, exornandam amplissimis honoribus statuit.
Secretarium Magnum elit, deligit, & si subijcere
nolit muneri an oneri potius, lacertos, incitat. Su-
scipit Illustrissimus Antistes oblatum sibi honorem:
moni-

monitis Serenissimi Regis saluberrimis libenter pa-
ret. Mox ne sua virtus, oblatâ sibi Prouinciâ, tor-
pescere videretur, sœuiente interea belli Moschouiti-
ci furore, cum Serenissimo ac Inuictissimo Vladislao
IV. iter Smolenscum ad retundēdos impetus hostium
adornat. Moschos iniquissimo fœdere atq; patriæ
funesto iunctos componit, sedat, mitigat. Atq; vbi
salutem orbis Sarmatici, in grauissimo discrimine
versari cognouit, vitam suam aperto obijcit pericu-
lo, vt parùm abesset, quin totius Regni Sarmatici
maximo dolore: nisi Deus globum iam iam Illustris-
simum Antistitem ferientem, dextrâ suâ Cunctipo-
tentí alio volare fecisset, retudisset, impediisset,
corrueret. Volat globus, non traiicit, volat vt no-
ceat, non nocet, alijs mortem intentat, Illustrissi-
mo Antistiti parcit, saluum incolumem reddit. Quo
in acerbissimo casu, quis non Diuinæ gratiæ maxi-
mum argumentum conijciat? Meruit id Sanctimo-
nia vitæ morumq; illibata integritas, vt eum qui iam
fatis fatalibus obiectus esse credebatur: conserua-
tum nobis, totiq; Reipub: incolumem cerneremus. Q
virtutem admirandam: quæ nihil timeas, & si in pe-
riculo verteris, in periculo tamen viuas. Vbi verò
furibundus Mars, spirans cædis, ac sitiens sanguinis
conquieuit, in primis Vicecancellarij Regni: postea
Episcopatus Præmisiensis, bono omne, consequitur
B 2 digni-

Dignitatem. Eluxit in Amplissima Maiestatis Sede , quid genus cum ingenio , ingenium cum eruditione , eruditio cum virtute , virtus cum industria efficere posset. Quam sectari pulchrum & delectabile , consequi & comprehendere summam semper felicitatem existimauit. Præfuit Episcopatu i aliquot annis : in cuius administratione ita se gessit , vt se exemplar omnibus viuendi propositum crederet. Quia verò Ecclesia illa Cathedralis Suffraganeo , qui Episcopi vi- cies obiret destituebatur , ex peculio suo , ære proprio , Ecclesiæ Suffraganeo , prouisum esse munificentissime voluit. Cancellarij porrò Regni officium non modò strenue , sed etiam cum omniū admiratione ita tractauit , vt plùsnè iustum quàm pium , & magis pi- um quàm iustum , quis diceret , inuenires neminem. Adiunxit præterea Pietati & Iustitiæ singularem eruditionem , quam magnâ Prudentiâ atq; animi mo- deratione mirificè attemperauit. Non neglexit pa- riter illam familiarem cuilibet Magistratui verita- tem , nullius siue gentis , siue Personæ , habuit ratio- nem , quæ laudanda erant laudauit , quæ vituperan- da vituperauit.

Tros Rutulue fuat nullo discrimine babebo.

Adfuit deinceps rara illa in expediendis negotijs facilitas , spiritus ardens & amœnissimus in deciden- dis diiudicandisq; causis. Ne autem Catonem Cen- forium

fórum in reddendo vnicuiq; quod suum est , ageret , officio promptè exhibito , Illustrissimorum amico- rum , Confanguineorumq; conseruauit amicitiam , sanguine sibi non iunctis , nocuit nunquam , profuit omnibus : existimans se frustra vixisse , si nemini prodesset : simul signum certissimum boni & æqui viri iudicans , si esset ad ignoscendum procliuis. Neq; tām acri animi contentionē Illustrissimus Antistes , fortunæ bonis , quæ sunt momentanea , quàm labore , qui est æternus , virtute , quæ est Diuina , nominis ce- lebritatem sedulò quæsiuit. Et quia Tulliano potiùs , quàm rudi & impolito præconio dignior vide- retur : idcirco ne vanā iactantiæ tumesceret aurā , sed communi bono propagando natus esse haberetur , Ecclesiæ Patriæ inferuiret fidelissimè , summam Hu- militatem , virtutum omnium custodem seruandam non dubitauit. Propensione clementissimâ Serenissimi ac Inuictissimi Vladislai IV. in omnibus erga se flagrante , beneficia vix aliquando poposcit , quæ magis sit suetus oblata præstare , quàm sumere. Ete- nim Illustrissimus Antistes non priùs ad Episcopatus Cracou: fastigium progressus , quàm Serenissimus Vladislaus IV. hoc munus Dignitatis & Celsitudinis , pro maximis in Rempub: meritis suscipiendum , omnino suadere non desisteret. Quòd euidentissimè docuit Illustrissimus , se non tam affectare Episco- patum

patum Crac: quām Serenissimi voluntati parere libenter. O quām felicissimam Diœcesim Crac: existimauerim, quæ eiusmodi nacta sit Antistitem, vt qui sit Ter: Max: Præsul, Maximus Sacerdos, & Maximus Pastor. Felicissima est profecto Diœcesis, quod tantum talemq; sortiatur Pastorem, qui Fautor & Patronus Gregis sui certissimus sit futurus. Felix quoq; Alma Mater Academia, cum Te Cancellarium suscipiat sibi fauentissimum, & longè dignissimum. Monumentis literarum consignatum est, quod Orpheum affluerit Calliope, Musæum Vrania, Homerum Clio, Polymnia Pindarum, Erato Saphon, Melpomene Thamyram, Terpsichore Hesiódum, Thalia Maronem, Nasonem Euterpe. Illustrissimus Præsul omnium optimè de literis meritorum Princeps, cùm & omnes literas didicerit fidelissimè, & iam non nouem Musis, sed toti Academiæ præsit felicissimè. Alexander Regni sui theatrum Athenas appellabat. Regnum Sarmaticum, Cracuiam; quæ in suo gremio continet Almam Matrem Academiam, verè auream literarum sedem, ac domicilium velle habere quis vnquam negabit? Adsunt in hoc Athenæo scientiarum, omnis probitatis & eruditionis, Viri peritissimi. A quibus, Doctrina, Religio, Iura, Leges ortæ, atq; in totum orbem Sarmaticum, longè latèq; diffusæ, promanârunt. Si

Histo-

Historiæ credimus, nulli plures statuæ dicatæ quām Demetrio Phalereo Athenis, nempe CCCXL. Alma Mater Academia Præsul Illustrissime, Tuum nomen honesta cum recordatione tempus in omne conseruabit. Te Benefactorem & Protectorem æternum iactabit, prædicabit, celebrabit. Laudes Tuas per totum orbem ita diuulgabit, vt de Tui nominis celebritate, & famæ immortalitate, nulla vnquam ætas conticescat. Pro Tuâ optimâ valetudine, integris viribus, vt Te Deus diu multumq; seruet incolument, Sanctissimo eius nomini, summâ cum animi submissione, & quâ par est debitâ veneratione: ne quando inuidæ Parcæ fila vitæ tuæ abripere intendant, sed quando solus cupias; placidissimo somno mortis conquiescas, ad aram Cineresq; Diuinissimos, Beati Ioannis Cantij, ardenter orabit & supplicabit. Cuius Tu ossa Beatissima, odorem illum Diuinum spirantia, Vicecancellarius Regni, & Episcopus Præmisliensis, ex tenebris in lucem, ex visceribus terræ in apertum, permisso Illustrissimi ac Reuerendissimi piæ recordationis Antistitis Crac: Iacobi Zadzik, eruta, in loco conspectiore ad parietem Sacrae Aedis, tumba lignea, tum stanea, mox marmorea, cum honore inclusa, Pontificalibus indutus, posita esse voluisti. Bonum omen Illustrissime Præsul accipias: futurum enim est, vt cuius Sancti Reliquias in lo-

in loco sacro asseruâsti, manibus tractâsti, longissimam eamq; felicissimam impetret Tibi vitam, & certissimum in conspectu Altissimi intercessorem obtineas in cælis. Hæc est gestorum Heroicorum Illustrissimi Antistitis amplitudo & deprædicatio, quam non aliunde sed ex ipsis in Ecclesiam Dei & Rempub. meritis gloriofissimis, quæsiuit. Quanquam fore non aliter erat sperandum, vt potè quod Illustrissimum ac Reuerendissimum Archiepiscopum Gnesnensem, Primatem Regni, Patruum suum, integritate vitæ virum clarissimum, quantum in se est, temper imitatione suarum virtutum excellentissimarum, assequi & exprimere, perquām vehementer studuerit. Etenim quis non imitaretur Illustrissimum Patruum Tuum Laurentium Gebicki, Primatem Regni, primumq; Principem lumen illud & columen omnis sanctitatis, vitam suam, verbis ac doctrinæ suæ, consentaneum exemplar, omnibus proposuisse, vt Archiepiscopali Dignitate, & titulo Magni in Regno Sarmatico Senatoris dignus videretur. Neq; enim aliquo tempore otiosus vixit, vt nihil ageret unquam: sed ita vixit, vt toti Regno Sarmatico, Piety, virtute, innocentia præluceret, & his veluti gradibus ad summum honoris apicem, Archiepiscopus Gnesnensis, ascendisse iudicaretur. Quanta eius naturæ ac ingenij dona, & quām admiranda fuerunt:

runt: quæ literæ siue Diuinas siue humanas speces: Quām eloquens sapientia, sapiensq; eloquentia: Quām conueniens Primatui, quem in Repub: magnâ omnium gratulatione, magno Reipub: commendo obtinebat. Nulla eloquentia est, quæ Illustrissimi Antistitis virtutibus, præcipuè verò Mansuetudini, ac Beneficiæ, paria facere posset elogia. Evidem quicquid fuit in Illustrissimo Antistite, summum fuit. Huc se offert Illustrissimus Andreas Gebicki, Præsul Episcopatus Luceoriensis dignissimus, idemq; Senator grauissimus & maximus: Cuius Celeberrimi Nominis, mentionem dulcissimam, quis est qui non sentiat? Cum ille admirabili quadam fatorum benignitate, Ciuium saluti, communium fortunarum propugnationi, Reipub: deinceps, consilijs saluberrimis, iuuandæ, ac Ecclesiæ ab iniuriosa vexatione vindicandæ, se datum, & progenitum esse reputet. Illud præterea omnem humanæ laudis prædicationem propè excedit, quod ad tantas, tamq; eximias animi dotes, & virtutes, Doctrinæ præstantiam, ingenij celebritatem, vitæ sanctimoniac gloriæ, & miserorum hominum iuuandam necessitatem, adiecerit. Quid dicam? Per illustris Ioannes Gebicki, S. R. M. Secretarius Magnus, Decanus Cracoviensis, Præpositus Miechouiensis, quantis virtutum & gloriæ, comparatis ornamenti, longè latèq; per

vniuersum orbem Sarmaticum splendescat? Ex oris
enim Moschouiticis vbi primū redijt, mox Regen-
tis Officium à Serenissimo Rege Vladislao IV. sibi,
suæq; sapientissimæ industria, rerumq; agendarum
incredibili dexteritati, collatum, recepit, atq; ita
Præses Legum, Custos Libertatis, Conseruator Pri-
uilegiorum fidelis, comis, benignus, moderatus,
ac ad omnem Humanitatis rationem factus est iudica-
tus. Addo, Illustrissimus ac Magnificus Stephanus
Gebicki, Palatinus Lancicien: Vir Tantorum Hero-
um, Familiæ Gebicianæ, Sanguine, non indignus, vt
vitâ clarus, ita rebus præclarè gestis florentissimus,
nonne est egregium Patriæ decus, splendor Senato-
rij Ordinis, exemplar antiquæ sinceritatis Lechicæ,
ac clarissimum omnium gentium lumen. Qui pri-
mis ab annis, literarum peritus, pòst militiæ Sacra-
mento sese obstrinxit, & in Castris, sub Militaribus
Signis, Ioannis Zamoyski, Cancellarij Regni, &
Generalis Duci Exercituum, ita meruit: vt in Co-
mitijs, in facie Procerum, & totius Nobilitatis
Corona, non solum orbis Sarmatici Columna, sed
etiam Vniuersarum Nationum; amplissimis verbis
collaudaretur, & pronuntiaretur. Ad extremum
Perillustrem & Magnificum Christophorum Gebi-
cki Dapiferum Regni, quibus laudibus prosequi-
mur: aut quâ Benevolentia complectemur? Eius
enim

enim gloria, ob actiones præclarissimè actas, ac su-
ceptas, non modò intra domesticos Lares, sed etiam
vbiq; gentium & locorum, resonat, ac triumphat.
Multæ & magnæ in hoc viro sunt virtutes: sed ta-
men Grauitas cum Affabilitate, Comitas cum Hospi-
talitate, Liberalitas cum animi lenitate, gratiores
& admirabiores, in sensus, animosq; omnium Vici-
norum, Consanguineorum, & gentium finitimarum
influent. O Gentem Gebicianam felicissimam, ô Fa-
miliam Nobilissimam, in qua Serenissimi & Inui-
ctissimi Reges, ita sibi semper complacuerant, vt
nec Senatus, prudens Consilium: nec Ecclesia, Cul-
tus Diuini propagationem: nec furiosus & sangu-
nolentus Mars, robur: nec deniq; ipsa Curia Re-
gum Serenissimorum, Fidelitatem, Fortitudinem,
Constantiam, & animi excelsi Heroicam Magnani-
mitatem, vnquam desiderauerit. Nam si Annales
Orbis Sarmatici priscos excutiamus, quis obsecro
Gebiciorum Prosapiam gloriosissimam, non Com-
muni bono semper natam esse, affirmabit: vel glori-
osè factorum immortali gloriâ, non aliquando præ-
celluisse iactabit: aut cæteris virtutum splendoribus,
viguisse, claruisse, non prædicabit: Ista sunt Ge-
bicianæ Domus encomia, hælaudes, hæc, sempiterno
æuo duraturi nominis, fama. Quanquam (vt vulgo
prouerbium sonat) Baudium nemo laudare nouit,
C 2
quam

quàm Baudius : ita Gebiciorum Genus Illustrissimum, laudare dignè, nemo potest, nisi Reuerendissimi, Perillustres, ac Magnifici ipsimet Gebicij, qui perpetuò probati, habitiq; sunt Viri Magni, & magnanimâ mentis indole, tanquam hæreditariâ dote, instructi & communiti. Atq; verò, et si innumera-biles Gebicios reperias, omni virtutum genere ornatissimos, qui suam Antiquissimam & Augustissimam Familiam, ad hæc usq; tempora, claram, celebrem, ac inclytam, veluti Parentem & altricem Senatoriæ Dignitatis, conseruauerint. Tu tamen vel in primis eam ita exornas, decoras, & amplificas, ut meritò dicendus sis Senator, Pontifex, Pater Patriæ, optimus, magnanimus, liberalis, circumspectus in omni tempore, munere; mente, linguâ, factis. Titus Vespasianus quondam ob Modestiam atq; Benignitatem summam, amor & deliciæ generis humani, habitus est. Digniori iure Tu deliciæ Tuæ Poloniæ, & amor : quia hunc ipsum superâsti, summâ in Deum Religione, in Patriam Pietate, morum grauitate; innocentia vitæ, bonorum tutelâ, amore virtutis, literatorum Patrocinio; postremò, in omnes Charitate, atq; Humanitate summâ. Et cùm ille, biennium tantum Reipub: suæ præfuit ; Tu multos iam annos, ad clauum Reipub: assidens feliciter, hoc tempore nouâ istâ Dignitate auctus ; nostrum es commune gaudi-

gaudium, nostræ deliciæ. Ecce quâ progrederis, vtrinq; audio gratulationes, vtrinq; applausus, vtrinq; acclamations: PETRO GEBICKI, Magno & Pacifico, vita salusq; : felicissimè.

De nostris annis, Tibi, Iuppiter augeat annos.

Ac optimo sanè iure, qui Generoso genitus sis Ge-nere, ingenuo progenitus genio, sublimi natus inge-nio, Honorificentissimæ Prospiciæ Tuæ, Magno Or-namento : Maiorum gloriæ maximo incremento : Magnificentia verò Hæres. Qui memoriam non minùs, quàm veterum Illustrium Heroum ætatem excitâsti, decorâsti, ampliâsti : Cuius Antiquissimi Stemmatis resplendens Fascia ; quæ tot Laurentios, Petros, Andreas, Ioannes, Stephanos, Christophoros, Antistites Illustrissimos, Proceres Strenuissi-mos, Milites Inuictissimos, Triumphatores Glorio-sissimos, vexit, rexit, reuexit, in hostes, pro Patria, ad Patriam. Cui hæc fastigia, hæc encomia, ista præmia, virtutes clarissimæ, egregiè factorum peren-nis fama, Opera præcellentia, detulerunt, obtule-runt. Lætamur Reuerendissime Præful Tuo bono, Tuam enim felicitatem, nostram propriam recogno-scimus esse. Tibi, dum Honoris Solennem istam accessionem gratulamur, & Tua præconia celebra-mus : tūm inde, omnium nostrum communem sa-lutem, lætitiam, atq; diù desideratam faustitatem,

C;

pro-

HAL
pro manare, atq; in nos omnes redundare, iudica-
mus. Namq; in Tua Salute, sita est integritas Gre-
gis Tui, Legum Constantia, Religionis Orthodoxæ
Conseruatio, Pietas, Doctrina, Virtus. Id ipsum,
nostra, Tibi, de fidei cura animarum promittit fidu-
cia: nobilissimorum gestorum Tuorum, id curat vi-
gilantissima industria; votum deniq; id nostrum,
pro Tua incolumentate felicissima, quotidiano vnu
adunatum anticipat. Nos, quod fides, quod Reli-
gio, quod obsequium exposcit nostrum, pro Celsitu-
dine Tua: vt huic Diœcesi, Ouili, præsis auspicati-
simè: atq; simul pro vniuersa Domo Gebiciana, vt
Auitis, quam diutissimè floreat, & viuat, Titulis,
Dignitate, Libertate, excelsis Maximorum
Ornamentorum Splendoribus, nostras
candefacere preces, & inflammare
suspiria, non desistemus.

D I X I.



65802. H.62729

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОХУ імені І.І. МЕЧНІКОВА

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА